



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus VII. De Translatione Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

TITULUS VII.

De

Translatione Episcopi.

QUÆRES 1. Quid sit translatio? Respond
*Est promotio personæ ab una Ecclesia Episcopali ad
 aliam majorem ex causa necessitatis vel evidentis
 utilitatis à summo Pontifice facta.* Dicitur. 1. *Auctoritate
 Pontificis:* Sicut enim carnale conjugium indissolubile
 est, ita & conjugium spirituale, quod Episcopus
 cum suâ ecclesiâ contrahit, *cap. 2. h. t.* adeo ut si quis
 propriâ auctoritate matrimonium hoc dirimere &
 ad aliam ecclesiam transire præsumperit, utraq;e
 privari debeat *cap. 3. h. t.* dicitur 2. *ad ecclesiam
 majorem:* Promotio enim ad majora fit, non mi-
 nora, & qui provehitur, de minori ad majus pro-
 vehitur. *Can. 24. dist. 93.* major autem erit non so-
 lum, si altioris fuerit ordinis, v. gr. si quis transfe-
 ratur de Ecclesia Episcopali in Archiepiscopalem,
 sed etiam, si æqualis in dignitate fuerit, modò po-
 pulus in eâ sit frequentior, & sic major inde utilitas
 sperari possit. Dicitur 3. *ex causâ necessitatis vel evi-
 dentis utilitatis:* debet enim Pontifex habere motiva,
 si vinculum spirituale inter Episcopum & Ecclesiam
 suam solvere velit; cum non sit liberum Pontifici
 in Ecclesia Dei pro libitu disponere, sed tanquam
 prudens dispensator teneatur ea, quæ ecclesiæ pro-
 futura sunt observare.

QUÆRES 2. Quinam transferri possint?
 Resp. Omnes Episcopi & Archiepiscopi etiam si
 consecrati aut inviti fuerint. Invitus tamen Epi-
 scopus

scopus secundæ Ecclesiæ probabiliter alligari non potest; ratio est, quod Episcopus cum Ecclesia sua contrahat matrimonium spirituale, matrimonio carnali in multis simile, sicut ergo ad matrimonium carnale requiritur consensus, sic etiam ad spirituale requiretur.

OBJICIES 1. Matrimonium spirituale per consecrationem Episcopi consummatur, sicut matrimonium carnale copulâ conjugum; atqui matrimonium carnale semel consummatum nequidem auctoritate Pontificis dissolvi potest; ergo neque spirituale. Resp. Negando majorem. Licet enim per consecrationem consummetur hoc spirituale matrimonium, non tamen consummatur sicut matrimonium carnale, hoc enim Institutum est ad repræsentandam conjunctionem Christi cum Ecclesia indissolubilem, non autem spirituale: & hinc ex prædicta repræsentatione in matrimonio carnali resultat indissolubilitas, non item in spirituali.

OBJICIES. 2. Si Episcopus consecratus transferri possit, sequitur, conjugium spirituale non esse fortius carnali; sed hoc est contra expressa verba Pontificis in cap. 2. h. t. ergo: Resp. Negando majorem licet enim matrimonium spirituale dissolubile sit, nihilominus fortius erit carnali ex triplici ratione. 1. quod imprimat characterem indelebilem, quod non facit matrimonium carnale. 2. quod matrimonium sit indissolubile potius, in quantum spirituale est, & conjunctionem Christi cum Ecclesia repræsentat, id est, non in quantum est contractus civilis, sed quatenus est Sacramentum, quod ex matrimonio infidelium solubili intelligitur. 3. denique spirituale fortius est ideo, quia coniuges propter

propter ingressum religionis matrimonium carnale separare possunt, etiam sine auctoritate Pontificis, quæ tamen ligatis matrimonio spirituali necessaria est.

QUÆRES 3 Qui sint effectus translationis? **Resp.** Tres esse potissimum ejus effectus. Prima quod ut antea dictum per eam dissolvatur matrimonium Episcopi cum ecclesiâ priore. *cap. 2. b. l. can. si quis. caus. 2. q. 2.* Secundo quod translatus idem jus per translationem consequatur, quod per electionem concorditer factam. *dict. cap. 2.* Tertio quod factâ translatione sive adeptâ absolutione Papali, & dissoluto vinculo, prior ecclesia ipso Jure vacet, quam primum translatus in translationem consensit eamque accepit. *Pirrh. b. l. n. 17.*

OBJICIES. Beneficium prius non vacat, nisi post adeptam pacificam possessionem secundi; ergo nec prior Episcopatus vacabit, nisi post adeptam possessionem Episcopatus secundi. **Respond.** Concess. anteed. Nego consequent. ratio disparitatis est; quod alias Episcopus matrimonium cum secundâ ecclesiâ contraheret, priusquam a vinculo prioris matrimonii absolutus esset, adeoque sponsus foret duarum ecclesiarum, & spirituale adulterium committeret, quod Pontifex, extra casum expressæ dispensationis concedere non censetur.

Quæ ratio in inferioribus dignitatibus & beneficiis cessat.

TITU.